



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Medvlla Theologiæ Moralis**

**Busenbaum, Hermann**

**Monasterii Westphaliæ**

Dub. VIII. Quomodo confeßario agendum cum reo?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40957**

quia id esset iudici calumniam imponere. Imò in  
justè appellans tenetur de damno. Si verò p  
sententiam iniquam esse, aut injustè processum  
esse; aut si diversè sint opiniones, potest appellare.  
*v. Tan. l. c. n. 100. C. Lug. l. c. c. 14. Sanch.*

## DUBIUM VIII.

*Quomodo Confessario agendum cum Reo*

Resp. Observanda sequentia. 1. Instruat eum  
quod quæ secum in foro conscientie agit, cum Ju  
dicibus non communicentur, ideoq; sive sit noc  
cens, sive innocens, id ei, nec prodesse, nec obesse  
possit. Ratio, quia alias multi conantur se falso  
probare innocentes, ut à Confessario juventur. al  
contra falso se nocentes dicunt, quod timeant, ne  
Confessarius conferat cum Judicibus, ipsiq; revo  
centur ad torturam. Unde expedit, 1. Ut non tem  
erè evulget Confessarius accepta extra confessio  
nem. 2. Ut ad confessionem sacramentalem Reo  
um non admittat, nisi postquam in foro profano  
res sunt liquidæ: vix enim adigi poterit, ut omnia  
fateatur ob timorem, ne vel deferatur, vel cogatur  
eadem fateri Judici: ante tamen de contritione ag  
endum est, *Delrio. l. 6. c. 1. §. 3. Tan. d. 4. q. 5. d. 4.*

II. Ne cogat importunis modis Reos, ut se ta  
les fateantur; tum quia verè quidam rei non sunt,  
& victi illa importunitate, ne moriantur in com  
municati, vel à Confessario in extremis defera  
tur, confitentur sacrilegè; tum quia frustra est con  
fessio, nisi fiat ex contritione, & vera ad Deum  
conversione: de hac ergò laboret, & sequetur bo  
na confessio, non autem contra. *Tan. l. c.*

III. Caveat, ne coram Reo censeat modum procedendi judicialem; proindeq; communiter non admittat querelas de injuria facta, cum non sit Confessarii ea judicare, sed ad pœnitentiam disponere.

IV. Et si quidam auctores permittant Judici uti dolis bonis, ad crimen eliciendum; non tamen id licet Confessario, ne ministerium ejus infametur.

V. Non licet (secundum Concil. Antioch. Can. 33. & cap. 34. Non licet:) palam interesse tormentis, aut suggerere modum torquendi, nisi mitiorem, v. Tan. d. 4. q. ult. dub. 5. n. 128.

VI. Expediit habere cognita indicia, & probationes deprehensas in judicio, ipsumq; modum processus, ut & prudentius possit in suo foro agere, & Judicem, si cubi opus, prudenter admonere.

VII. In confessione examinet, 1. An consortes criminis prodiderit, (si secundum supra dicta tenebatur) & quidem si falso alios infamârit, inducat ad revocationem, etiam cum periculo torturæ. v. Tann. d. 4. q. 5. dub. 4. num. 103. & dicta dub. superiore. 2. Si saga sit, quo tempore, qua occasione, in magiam sit lapsa; ut si postea neget, convinci possit in eodem foro. 3. In qualitate em superstitionis, an ex animo Christianæ fidei renunciârit, dæmonem adoraverit, falsa de Deo & æternitate senserit, rebus sacris abusa sit, hominibus nocuerit, præsertim conjunctis, ut marito, liberis, & an alios seduxerit. Item de peccatis carnalibus. Denique confessæ aperiat fraudes dæmonis, instruatque quomodo iis deinceps occurrendum, atque inter

inter cætera suadeat fidei professionem, & frequentem Symboli repetitionem

VIII. Sæpè non expedit post supplicium Judici significare, Reum in extremis denunciacione revocasse; tum quia Judices id parvi faciunt (quod rectè, vide *Laym. & Tann. l. c.*) tum quia frangit sigillum sacramentale, si non petita licentia, innocentiam denunciati evulget, cum eo ipso revocatum peccatum denunciantis. Quare si aliquando Judicem movere expediat, rogandus est Reus, ut extra confessionem, & coram testibus dicat, eoque, ut Judex moneatur.

IX. Si alicujus innocentiam ex confessione colligeret (quod etsi difficile, non tamen impossibile esse, docet *Ta. d. 4. q. 5. dub. 4. n. 85.*) id Judici aperte, ac pro Reo intercedere, periculosum est, tum quia post publicatam Rei confessionem, ei non credetur; tum quia si plures audiat hoc ipso aliorum innocentiam, de illis tacendo, videtur confirmare, cum fractione sigilli; tum quia si Rei cognoscant eum pro innocentibus intercedere, occasione arripiunt, eum callidè sua facinora celandi, v. *Laym. l. 3. tr. 6. c. 5. Tan. d. 4. q. dub. 5. n. 65.*

Etsi pro Reis, etiam justè damnatis, intercedere aliquando possit, maximè apud magistratum superiorem, juxta scripturam, *Prov. 24. v. 11. Erue os, & c.* valde tamen prudenter, & moderatè id faciendum: quia relaxatio potest esse illicita, Judexque (non tamen Confessarius, nisi ea præviderit) fiet reus malorum omnium, quæ ex liberatione sequuntur; imò & ipsi imputabuntur, cum ex officio debuerit impedire, vid. *Bon. in t. præ. d. 10. q. 2. c. 3. Tann. de just. d. 4. q. 5. dub. 4.*